

1523

CODICES

1524

## CODICES

## ASCETICI.

DCLV.

U. 358

**C**odex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 105. f. paene quadrus luculente et eleganter per-scriptus, minio illustratus, et ab *Job. Alex. Brassicano* quondam ad *Job. Fabrum* Antifitem nostrum devolutus ita caractere majusculo rubro insignitur: *In Nomine Domini Hunc Modicum Libellum Smaragdus De Diversis Virtutibus Collegit Et Ei Nomen Diadema Monachorum Inposuit Quia Sicut Diadema Gemmis Ita Et Hic Libellus Fulget Virtutibus. Mox Incipit Prologus Eiusdem Libri. Ita: Hunc modicum nostri Operis Libellum de multorum di-Edis Orthodoxorum opitulante Christo collegimus Patrum. &c. Succed-*

dit Elenchus C. *Capitum*, quorum I. *De Oratione* sic init: *Hoc est remedium eius qui uiciorum temptamentis exestuat &c.* Collatus cum T. XVI. *Bibl. PP. Lugd. p. 1305.* vix quidquam variat. Ejusdem *Smaragdi Viam Regiam* indicavi *Vol. I. P. 1. col. 1050.* *Trithemius* in *Catal. illustr. Viror. Germ.* eum Abbatem S. *Michaelis* in *Saxonia* fecit, omisit autem *Saxonia* in *Catal. Script. Eccl.* id-que merito; ad *Mosam* enim et Dioecesin *Viridun.* pertinet, ut videre est in *Hist. liter. de la France* T. IV. p. 439.

II. fol. 64. Compilatio mystica variarum Contemplationum et pi-orum Affectuum cum Praefatione ad

1525

A S C E T I C I.

1526

ad *Kunegundem* Viduam *Henrici* II. Imp. post Mariti mortem in Parthenone *Kaffungenfi* seu *Confugiensi* a se condito degentem, cuius initium: *Dudum quidem Domina Imperatrix tibi petere placuit ut ex scripturis colligerem luculentos breuesque sermones &c.* et Subscriptio miniata: *Ego Johannes Vltimus Servorum Christi. et qui mecum sunt fratres Beatitudinem tuam salutamus in Christo Pia Mater pauperum et Nobile Decus Viduarum. Vale. Conseruet te semper in uoluntate sua omnipotens trinitas.* Ne actum agam, adeat Lector *Job. Mabillonii Vet. Analecta* Edit. nov. *Parif.* 1723. T. I. p. 120. f. ubi et Prologum integrum, et summa totius Compilationis, quam Autor ipse in Prologo *Libellum de Contemplatione divina, Christique amore et de illa superna Hierusalem omnium Fidelium matre* vocat, Capita habet. At vero fol. 102. p. 2. post Rubricam: *Quid sit jubiliu* Codex noster a *Mettensi*, quo usus est *Mabillonius*, abit et *Orationum*, quae huic numero VI. et VII. sunt, loco prolixam interferit *Dissertationem mysticam* inscriptam rubro: *De omnipotentia maiestatis*, quae incipit: *Omnipotens Deus in semetipso habet sine mutatione sui mutabilia disponere. sine diuersitate sui diuersa agere. sine cogitationum uicissitudine dissimilia formare &c.* finit: *impenetrabilia eius iudicia perpendicularibus submissis alis humiliter stamus; et sequentia pertractat: Quod perfectio contemplatiue uite in hac uita non*

*datur. De uoce carnis. De uoce sub firmamento. De uoce de firmamento. De uoce super firmamentum. Quid sit quod sancta animalia alas submitunt.* Post hanc *Dissertationem* redit *Mabillonii* N. VIII. five *Confessio humilis peccatoris in tempore angustie et infirmitatis. Miserere domine miserere pie &c.* Sed in uerbis: *Scis omnia potes omnia*, terminatur *Codex*, nihilque agnoscit *Orationum*, in quas *Mettensis* procurrit. Autorem *Mabillonius* coniectat fuisse *Jobannem Abb. Fiscamensem* e rationibus, quas l. cit. p. 125. expendit.

## DCLVI.

Codex membranaceus lat. Sec. U. 359 XII. Folior. 150. f. per duas columnas non una manu, eleganter tamen perscriptus, miniatus, et quondam, uti praecedens, *Jobannis Fabri Ep. Vien.* continet: I. *Smaragdi Abb. O. S. B. Diadema Monachorum* prorsus, ut *Codice* praeced.

II. fol. 58. velut e calce praeeccupo, *Libellus iobannis de diuersis scripturis collectus.* Eadem uidelicet mystica ad *Kunegundem Aug.* Compilatio, quam mox indicavi, quae cum se penitus habeat, ut in exemplo praecedente, et ultimis uerbis: *Scis omnia potes omnia*, continuo subdatur: *Explicit libellus iobannis &c.* inclinor, ut credam, *Mantissam* illam *Orationum*, quam e *Mettensi* Codice excitauit *Mabillonius* ad *Jobannem* nostrum haud pertinere, idque eo magis, quod, earum quae

C c 3

N.